AUGUSTINUS

Admont, 12. Jh. Seite 136v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=25973
Copyright: Admont, Benediktinerstift

quam ut demonstraret nobis quanti nos penderet deus quantumque diligeret.
Quid uero huius rei tanto isto indicio manifestius atque preclarius quam ut dei filius
immutabiliter bonus in se manens quod erat et a nobis pro nobis accipiens
quod non erat preter sue nature detrimentum nostre dignatus inire consortium.
prius sine ullo malo suo merito mala nostra perferret. ac sic iam
credentibus quantum nos diligat deus et quod desperabamus iam sperantibus bo
na ad nos sua sine ullis bonis meritis nostris indebita largitate con
ferret. quia et ea que dicuntur merita nostra dona sunt eius. Ut enim fides
per dilectionem operetur. caritas dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum
sanctum qui datus est nobis. Tunc est autem datus quando est ihesus resurrectione cla
rificatus. Tunc enim eum se missurum esse promisit et misit. quia tunc sicut de
illo scriptum est et ante predictum. ascendit in altum captiuauit cap
tiuitatem dedit dona hominibus. Hec dona sunt merita nostra quibus ad sum
mum bonum immortalis beatitudinis peruenimus. Commendat autem
inquit apostolus caritatem suam deus in nobis. quoniam cum adhuc peccatores
essemus christus pro nobis mortuus est. multo magis iustificati nunc in sanguine
ipsius salui erimus ab ira per ipsum. Adhuc addit et dicit. Si enim cum
inimici essemus reconciliati sumus deo per mortem filii eius. multo magis
reconciliati salui erimus in uita ipsius. Quos peccatores dixit prius. hos
postea inimicos dei. et quos prius iustificatos in sanguine ihesu christi
eos postea reconciliatos per mortem filii dei. et quos prius saluos ab ira per
ipsum. eos postea saluos in ipsius uita. Non ergo ante istam gratiam quomodocumque peccatores
sed in talibus peccatis fuimus ut inimici essemus dei. Superius autem idem apostolus
nos peccatores et inimicos dei duobus identidem nominibus appel
lauit. uno uelut mitissimo. alio plane atrocissimo dicens.
Si enim christus cum infirmi essemus adhuc iuxta tempus pro impiis mortuus
est. Quos infirmos. eosdem impios nuncupauit. Leve aliquid uidetur

Margin: s. huius dilectionis
s. sine ullo suo merito.
s. malorum meritorum ablatio
s. nostre sortis consortio.
immo precedentibus et malis meritis nostris.